

- 'Parebo' dixi 'plus iussio posset amici'¹.
 10 Tantum, quod scribo, penitus proferre² caveto
 Deque meo³ titulus semper sit nomine mutus,
 Ne me verbosum, ne me testetur ineptum
 Et dignum poena, quod feci vile poema.
 Quintilius⁴ vates ne dicat: 'Corrige, sodes,
 15 Istud.' et: 'Hoc male stat, vatum chorus hoc tibi damnat'.
 At, si quod nolo, si forte legatur ab ullo,
 Qui sensu modicum non novit Theodericum,
 Donet⁵ me venia reputans tibi, non sibi, scripta.
 Quidquid in hoc pecco, te respicit, arbiter esto.
 20 Principium sit hoc mihi carminis ordine primo,
 Est hoc primarum quia primus in ordine rerum
 Posse meum, mea spes, mea laus sapiencia vires.
 Hinc faveas operi, rex mundi, gloria celi,
 Que volo mirari, mirabilis ipse creasti'.

f. 183^a II:

- 1217 Hoc de Solini scriptis miranda relegi,
 Hoc demandavi cere, quia digna putavi,
 Materię pannos plerumque perosus iniquos,
 1220 Cui nunquam licuit plana ratione morari
 Sed velut in scopulis offendere semper acutis.
 Istud opus vel aquis volui vel tradere flammis,
 Si non hoc Stephanus⁶ noster prohiberet amicus,
 Qui me corripuit: 'Labor hic, labor est meus' inquit
 1225 'Et quod commeruit cur perditur? Ergo peribit?
 Non ego corripiam!' 'Nil est mihi carius' inquam.
 'Si mea scripta legas, aliis autentica reddas'.

f. 183^b I:

- 'Flete canes, si flere vacat, si flere valetis;
 Flete canes: Catulus mortuus⁷ est pitulus'.
 'Mortuus est pitulus, pitulus quis?' 'Plus cane dignus'.
 'Quis pitulus?' 'Domini cura dolorque sui'.
 5 Non canis Albanus, nec erat canis ille Molossus⁸
 Sed canis exiguus, sed brevis et catulus.
 Quinquennis fuerat; si bis foret ille decennis⁹,
 Usque putes catulum¹⁰, cum videas, modicum.

1) 'amci' Hs. 2) 'prodesse', 'proferre' m. 3) 'meos' Hs.
 4) 'Quintitulus', 'Quintilius' m. 5) 'Donec' Hs., 'Donet' Reiffenberg.
 6) 'stephanus' Hs. 7) 'mortus' Hs. 8) aus 'molossus' korr. m. — Vgl.
 Horat. sat. 2, 6, 144. 9) 'detennis' Hs. 10) 'catulis' korr. 'catulum' Hs.